

## **Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

VII. Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum ea.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](#)

impossibile non est, Peckius *bis*, n. 12. & Stein, n. 6. quibus locis uterque & recte monet, conventione de ejusmodi casibus praestans solitos tantum comprehendi, tamque non porrigi ad infolitos & infuscatos, *I. Fistulas* 78. §. fin. *ff. de Contrah. empt.* quod etiam obseruant Molina tractat. *2. de f. & f. disp.* 495. n. 20. Gutierez de Juram. p. 1. cap. 24. n. 6. & Gaill, *Lib. 2. observat.* 23. n. 18.

Quartum; quia, quod res perempta peti possit, ratio est; quod ipsa & non aliud quidpiam fuerit in obligatione; re ipsa tamen non ipsa, sed aestimatio debetur, eademque ab actore intenditur, & a judice ex officio adjudicatur; Peckius n. 12. cit.

7. Ultimum; quia difficultas impossibilibus non aequiparantur, nisi eadem sit ratio utrorumque: ratio autem quodad obligationem eadem non est, sed diversa; cum dationem, factum, præstationem, difficultia: non etiam impossibilia admittant.

### REGVL A VII.

*Privilegium Personale personam sequitur, & extinguitur cum ea.*

### S U M M A R I U M.

1. *Privilegium aliud Reale aliud Personale.*
2. *Personalis munitus eō per se ubique utitur,*
3. *Id tamen ad heredes & successores non transmittit.*
4. *Ratio utriusque assertio-*
5. *Et utrique obiecta difficultates:*
6. *Qua tamen privilegiū Personaliū nee restitucionem,*
7. *Nec ad heredes transmissionem evin- cunt.*

**P**rivilegium aliud Personale & aliud Reale est, quorum illud directe & immediatè alicui ratione personæ, vg. ob singularem ejus experientiam, industriam, fidelitatem: istud verò directe & immediatè ratione rei vg. loci, dignitatis, officii, causæ, negotiis &c. concedi, dictum est *Tit. 33. n. 16.* quod tanquam propriū loco hæc Privilegiū partitio est declarata.

Proposita de priori Regula duas partes habet. Sensus prioris est, *Privilegium personale sequitur personam ejus, cui est concessum: ut ista eō, a concedente ad certum non restrictō, nisi per se quovis loco possit;* sic enim privilegiō legendi libros prohibitos, diebus sacerditalibus comedendi carnes, Psalmos Penitentiales vel Officium B. Virginis, horarum Canonicarum loco recitandi &c. munitus per se quoconque venerit, licet eō utitur. Per se, inquam, & *Privilegiū non restrictō munitus.* Prius; quia per accidens ejus usus aliquando illicitus est ratione scandali, aut alterius incommodi ex usu provenientis. Posterioris; quia privilegium personale non simpliciter, sed pro certo tantum loco concessum, extra hunc usum utique non habet.

Posterioris Régulae partis sensus est, *Privilegium personale extinguitur & ce- sat, quando extinguitur seu moritur persona, cui id fuit indulsum: nec transit ad heredes aliosve successores.*

Ratio utriusque partis aperta est; quia, cum privilegium personale causam in sola persona habeat fundatam, necesse est, ut eam comiteretur: sāque extincta & deficiente, ipsum quoque extinguitur ac deficiat, arg. e. *Cum cessante eo, de Appellar.* Quia ratio de privilegio etiam Reali illud evincit; quod, licet persona, qua nunc eō gaudet, extincta ipsum non extinguitur, re tamen, cui concessum est,

B b b a pereun-

pereunte; aut, si res quidem permaneat,  
sed titulus, ratione cuius concessum est,  
deficiat, vg. si Confraternitas vel aliqui  
jus Sancti reliquiae, ratione quarum Eccle-  
siae privilegium indulatum est, aliud trans-  
ferantur, etiam ipsum transferatur, ut cit.  
*Tit. 33. n. 41.* est dictum.

**S.** Quantumvis autem hæc Regulæ ra-  
tio clara solidaque sit, utriusque tamen  
partis sensum anticipiter reddunt Respon-  
sa Juris. Prioris quidem *can. Illa 11.*  
*diss. 12. c. Cùm in juventute 15. de Pre-  
sumpt. & l. 1. C. de Senator. & Clariss.*  
quorum textuum primò diebus ab Eccle-  
sia interdictis carnis vescendi privile-  
gium non comitatur personam privile-  
giatam; cum ista, si ad aliam Ecclesiam  
venerit, ejus à carnis abstinentis mo-  
rem servare jubeatur. Secundò privile-  
gium Pallii, Archi-aut Episcopi indul-  
tum, istum non sequitur, hoc ipsò; quod  
Pallii ut extra provinciam Archiepisco-  
pus, & Episcopus extra diœcesin suam,  
etiam cum istius Archi-aut Episcopi con-  
fensi, non possit, arg. c. 1. de Autib. *Uſe Pall. ubi Glossa V. Quamlibet Panormit.*  
& Laiman. n. 1. Potremo personali pri-  
vilegiò munitus, ut non nisi coram certo  
judice conveniri valeat, et non utitur u-  
bique; cum super contractu vel delicto  
alibi celebrato vel commissò, ubi deliquit  
aut contraxit, valeat conveniri, l. 1. cit.  
*& l. Interdum 36. §. 1. ff. de Judicis.* Po-  
sterioris verò partis sensum impetrunt l.  
*Non dubium 6. ff. de In Integ. ref. & l. Hæ-  
redes 20. C. ad S. C. Velleian.* quibus locis in  
integrum restitutionis & S. C. Velleiani  
privilegia personalia, indulta mi-  
noribus ac foeminis, ad hæredes porrigitur:  
uti & *Autib. Habita C. Ne filius pro  
patre*, vi cuius personale privilegium  
mariti, ut, factò ab uxori divortiò, dotis  
nomine conventus ad plus non teneatur,  
quam salvâ congruâ sustentatione potest,

etiam prodest filii ejus hæredibus, à ma-  
tre ejusdem nomine conventis.

Hæc tamen Juris dispositions peni-  
tius inspectæ non officiant Regulæ sensu;  
quoad partem quidem priorem; quia *can.*  
*Illa cit. Iermo* est de loci consuetudine:  
non de persona munita privilegio; cùm  
talis istò uti non prohibeatur: nisi ali-  
quando ratione scandali & similium in-  
commodorum, usi merè per accidens con-  
junctorum; præsertim quia peregrini lo-  
corum, per quæ transeunt, legibus parti-  
cularibus per se non adstringuntur, ut *Lib.*  
*1. tit. 2. & n. 113.* ostendit. Minorem vim  
habet c. *Cùm in juventute cit.* Quia *Pal-*  
*lii usus ipsò ejus privilegii concessionē ad*  
*certainā provinciam vel diœcesin restrin-*  
*gitur: intra quam proinde solam Pallia-*  
*tum comitatur, & illam non egreditur ex*  
*mente concedentis.* Neque magis urget  
*l. 1. cit.* quia eā relatum privilegii no-  
natur inductum omnino absolutè: sed,  
si contrarium non exprimatur, tacitè in-  
cludit exceptionem casus, quō privilegia-  
tus alibi contrahit vel delinquit, ut *l. 1. &*  
*l. Interdum cit.* non obscurè insinuat;  
ne nimis præjudicetur alibi cum ipso  
contrahentibus, ejusve delictò offensis, si  
contrahentis vel delinquentis speciale for-  
um debent sequi: eūmque non poscent  
convenire in loco contractu ac delicti,  
unde utriusque probations peti est ne-  
celle.

Non plus negotii faciunt textus ad-  
ducti contra sensum partis Regulæ po-  
terioris. Piores duo; quia illa minorum  
ac mulierum privilegia merè personalia  
non sunt; cùm induita sint minori æta-  
ti & sequiori sexui ratione læsonis in  
rebus ac juribus suis: quæ, cùm ad hæ-  
redes transeant, mirum non est, quod ad hos  
etiam transeant beneficia restitutionis &  
S. C. Velleiani, Gomez Tom. 2. *Var. cap.*  
*14. n. 6.* Posterior; quia ex speciali Juris  
disposi-

dispositione privilegium mariti ejus filii heredibus prodest, cùmquod hi personam patris reprezentent: tum verò quod ipsa quoque natura non patiatur, ut mater durior, quam in maritum, sit in liberos ex eo suscepitos; quod his, alimenta aliunde non habentibus, ea ministrare tenetur mater, cuius viscerum pars quedam & portio sunt.

## REGULA VIII.

*Semel Malus semper præsumitur esse malus.*

## SUMMARIUM.

1. *Sensus & ratio Regule,*
2. *Allum malum consummatum supponentes,*
3. *Et ad idem mali genus restringenda.*
4. *Probacionem in convarium, admittit;*
5. *Et aliquando malitia confirmationem.*

1. **R**egula istius, ut jacet, sensus clarus est; quamvis enim qui libet homo bonus esse præsumatur: donec malus apparet, aut esse legitimâ probatione convinatur. *e. Unico de Scrutinio &c. fin. de Præsumpt. nihilominus, postquam semel quis vg. peierando aut pravaricando deliquerit, malus, sive perjurus & pravaricator tamdiu præsumitur, donec peccatum per poenitentiam expiatum, & animum mutasse appareat, aut probetur, ut etiam desumitur ex can. Parvuli 22. q. 5. c. Scribani 9. de Præsumpt. &c. Sicui 5. §. 2. ff. de Accusat. Ratio est; quia ex præteritis præsumuntur de statu futuro & præsenti, c. Mandata 6. de Præsumpt. neque enim mutatio animi; cùm sit quid facti, præsumitur; sed*

ex actibus contrariis probanda est, *i. Eum qui 2. ff. de Probat. & c. Majores 3. de Baptismo*, cuius §. fin. dormientes & ridentes, qui ante amentiam vel somnum à Baptismo fuere alieni, baptizari non permittuntur; quod, cùm mutatio non præsumatur, in eis contradictionis proposi- tum perseverare, intelligatur.

Non male tamen *Glossa & Interpp.* 2.

ceteri Regulam hanc restringunt, vel potius declarant *Imprimis; ut procedat*, quando actus malus fuit in fine; non in principio tantum, sive quando delictum, cùm posset, non fuit consummatum; quod à delicto inchoato liberè ac sponte desistens videatur resipuisse. Deinde; ut procedat de eodem genere delicti: nec porrigitur ad diversa; cùm non eō ipsis; quod quis adulterinæ coniuerdinis sit reus, etiam usurarius aut homicida esse præsumatur, *Clarus §. fin. q. 21. n. 1. & Barbosa n. 8.*

Quæ contra Regulam sic declaratam adducuntur, facile diluvuntur. Opponi enim solet *Primò; quod quilibet præsumatur bonus, nisi probetur malus, c. U-nico est. & l. Merito 51. ff. Profectio.* Sed hoc verum duntaxat est, quando actus malus non præcessit, & præumptionem illam non enervavit; cùm enim mutatio in dubio non præsumatur, qui in aliquo genere semel malus est, talis perseverare præsumitur, donec appareat vel probetur in eo bonus.

Secundò, unus actus non sufficit; ut quis mercator, opifex, strenuus athleta dicatur. Ergo nec unus actus, ut præsumatur malus. Sed illatio hac nulla, lataque disparitas est inter mercatoris &c. malique appellations; quia mercatoris, opificis, athleta appellations ex ipsa nominum institutione denotant tractum, seu frequentiam certi generis actuum exercitium, usumque: nonetiam appellatio mali

B b b 5